



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Quænam in oratione petere debeamus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

*P. Ludov.  
Granav.*

Insignis quidam Author existimat, orantem atque aliquid à Deo petentem coram eo se habere debere eo modo, quo se habet catellus coram Domino suo mensæ affidenti; pauper- culum enim illud animalculum omnis generis exhibet gesticulationes ac situs, ut frustulum aliquod obtineat; tamen si verò uno die patia- tur repulsam, non minus altero redit, atque easdem facit, quas die præcedenti, instantias. Uno verbo Redemptor noster ait: incessanter nos orare debere, neque deficere, quia tandem supremus ille Rex noster ea nobis, quæ petieri- mus, indulgebit.

*Quanam in oratione petere debea-  
mus.*

*Res tem-  
porales  
non sunt à  
Deo pe-  
tenda, nisi  
sub condi-  
tione.*

Sicut à Deo procedunt omnia bona, sive temporalia sive spiritualia, etiam utraque ab illo petere quis potest, cum hoc tamen di- scrimine, quod bona temporalia, qualia sunt prolongatio vitæ, sanitas, vires, felix alicujus negotii successus, ac similia, petere non debe- mus, nisi sub conditione, scilicet si sua divina providentia ita nobis judicaverit expedientius. Idem quoque dicendum est de bonis spiritua- libus, quæ ex se non efficiunt nos meliores, neque Deo gratiores, uti sunt donum lacry- marum, consolationes internæ, devotionis sen- sibilis suavitas, facilis ac profunda interior re- collectio & similia.

*At virtu-  
tes ac gra-  
tiam Dei  
absolutè  
debemus  
petere.*

Verùm absolutè & absque ulla restrictione aut limitatione petenda nobis sunt bona spiri- tualia necessaria ad nostram salutem ac perfe- ctionem, qualia sunt remissio peccatorum, victoria

victoria tentationum, vitiorum extirpatio, sanctum odium sui ipsius, mortificatio sensuum ac passionum, facultatum ac potentiarum animæ nostræ superiorum ordinatio ac recta compositio, exacta Regularum & Constitutionum nostrarum observantia, virtutes ad vocationi sanctæ nostræ respondendum necessariæ, pœnitentia, oratio, obedientia, humilitas, mansuetudo, fortitudo, ac purus in Deum amor, integra conformitas cum sua divina voluntate, aliæque similes nobilissimæ qualitates, sine quibus animæ nostræ Deo perfectè nequeunt placere.

Ordo, quem in suis petitionibus quis potest tenere, hic erit: ut ante omnia petamus gratiam practicandi aut acquirendi ea, quæ in meditatione cognovimus nobis esse utilia, aut nobis deficere, uti foret, verbi gratia, Extirpatio alicujus vitii; exinde verò transire poterimus ad alias petitiones generaliores, tam pro nobis ipsiis quam pro aliis, observando temper, tam hîc quàm in aliis omnibus, interiorem, quam quis persenserit, dispositionem, ac Spiritus S. motum, & gubernationem. *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus: Spiritus autem postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Ordo petitionum.

Rom. 8. 26.

Sunt, qui posteaquam ea, quæ pro seipsis voluerint, petierunt, etiam orare amant pro Ecclesia, pro Prælatiis, atque universo populo Christiano; alii pro sanctæ nostræ Religionis orthodoxæ exaltatione, Infidelium & Hæreticorum conversione, ac Schismaticorum reunionè; alii similiter pro incremento boni spiritualis nostri sacri ordinis: alii pro animabus

H

par-

*Nota.*

purgatorii; alii pro agonizantibus; alii pro animabus in peccato obduratis, atque alii denique pro aliis diversis rebus, quem interiore tractum ac motum quivis sequatur oportet, quia credibile est, velle Deum à tali homine pro hujusmodi rebus orari, ut hac ratione suo in terram gratiarum suarum thesauros effundat.

*Praxis actuum petitionis.*

*Prima  
aliquid  
à Deo  
postulandi  
ratio.*

**D**uplici porrò ratione in hujusmodi facienda petitionibus procedere possumus. Primò necessitates nostras cum affectu interiore nudè ac simpliciter proponendo; sicut mendicantes ægroti in valvis Ecclesiarum constituti suas dumtaxat plagas aut vulnera sive ulcera exhibere solent, quo ita ingredienti & egredientes ad compassionem commoveant, atque ab iis stipem obtineant, quam quidem eâ obtinent ratione facilius, quàm si importunis clamoribus prætergradientium aures obtunderent.

*Luc. 16.  
v. 11.*

Hac ratione ad januam Epulonis se gerebat mendicus ille Lazarus, ne verbum etenim proferebat, sed solum *jacebat ad januam, cupiens saturari de micis, que cadebant de mensa Divitis.* Eodem modo se habebat pauper ille

*Matth. 8,  
v. 2.*

Leprosus, qui coram Salvatore nostro in genua sua procumbens agebat: *Domine si vis potes me mundare,* mundari expressè non postulat, sed solum agebat, *Domine si vis potes me mundare.* Nec absimili quoque ratione se duæ illæ sorores Martha & Maria Magdalena gerebant in infirmitate fratris sui Lazari, neque enim